

bundos irruisse in quandam casam, ubi habitabant quidem servi tui, spiritu pauperes, qualium est regnum coelorum, et invenisse ibi codicem in quo scripta erat vita Antonii. Quam legere coepit unus eorum, et mirari, et accendi: et inter legendum meditari arripere talem vitam, et, relicta militia seculari, servire tibi. Erat autem ex eis, quos dicunt Agentes in rebus. Tum subito repletus amore sancto et sobrio pudore, iratus sibi conjecit oculos in amicum, et ait illi: Dic, quaeso te, omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus pervenire? quid quaerimus? cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et tibi, quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, et turbidus parturitione novae vitae, reddidit oculos paginis, et legebat, et mutabatur intus, ubi tu videbas; et exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit. Namque dum legit, et volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquando, et discrevit decrevitque meliora: jamque tuus, ait amico suo? Ego jam abrumpi me ab illa spe nostra, et Deo servire statui, et hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille, adhaerere se socio tantae mercedis, tantaeque militiae. Et ambo jam tui, aedificabant turrim sumptu idoneo, relinquendi omnia sua, et sequendi te. Tum Pontitianus, et qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quaerentes eos, devenerunt in eundem locum, et inventes admonuerunt, ut redirent, quoniam declinasset dies. At illi, narrato placito, et proposito suo, quoque modo in eis talis voluntas orta esset, atque firmata, petiverunt, ne sibi molesti essent, si adjungi recusarent. Isti autem nihilo mutati a pristinis, flevit se tamen, ut decebat, atque illis pie congratulati sunt, et commendaverunt se orationibus eorum, et trahentes cor in terram abierunt in palatium. Illi autem affigentes cor in coelo, manserunt in casa.